



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. An sit aliquis finis vltimus moralis, & rerum omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

QVÆSTIO I.

De existentia beatitudinis, prout est ultimus finis virtutis moralis.

Aristot. *lib. 1. Eth. cap. 1. & 2.*

Sapienter monet Philosophus *cap. illo 2.* nulla re magis humanam iuvare vitam, quam cognitione ultimi finis. Et rationem affert *lib. 7. cap. 8.* quia finis in rebus practicis rationem habet principij vniuersalissimi, nec aliter se habet ad actiones quam in Mathematicis propositiones vniuersales, quas vocant hypotheses, & in aliis scientiis principia vniuersalissima & per se nota, quibus omnes deducuntur conclusiones, & iis sublati nulla est amplius scientia. Illius igitur existentia persuadenda in primis homini est, & videndum primò, an ille de facto aliquis sit: secundò, an ille vnicus sit, an multiplex: tertio, an & quomodo illum homo in omnibus suis actibus appetat & proponat.

SECTIO I.

An sit aliquis finis ultimus virtutis moralis, & rerum omnium.

Finis simpliciter ultimus.

Finis simpliciter ultimus appellatur hic *cap. 2.* illud bonum, quod propter ipsum, & propter quod alia omnia volumus: finis enim secundum quid ultimus dicitur illud bonum, quod in aliqua serie actionum volumus propter ipsum, & propter illud reliqua omnia.

Finis secundum quid ultimus.

Certum igitur primò est, nullam vnquam fieri posse actionem, in qua non detur finis aliquis ultimus, quem agens naturale ita propter ipsum appetat & intendat, vt ultra illum nihil aliud appetat in tali negotio & serie actionum. Ratio refertur potest ex *1. Ethic. cap. 2.* quia si appetitus vel elicetus, vel naturalis nihil appeteret in singulis suis actibus, in quo quiesceret, vana & inanis esset omnis appetitus; quisquis enim aliquid appetit, intendit quiescere in eo quod appetit: sed si nullus esset ultimus finis cuiuslibet actionis, appetitus non posset quiescere in eo quod appeteret; in eo enim non quiescit appetitus, quod appetit propter aliquid vltius, non propter ipsum: ergo in qualibet actione datur aliquis finis ultimus, qui propter se appetatur, & omnia propter ipsum; & hoc est ex rei natura prorsus essenziale. Nam homo v.g. nunquam agit, quin agat propter finem vltimum huius actus, si nunquam agat, quin agat propter bonum aliquod cognitum, vltra quod actu non cognoscat aliud; finis enim est bonum cognitum, quod desideratur: sed quoties homo agit, cognoscat aliquod bonum vltra quod non cognoscat aliud: ergo quoties agit, appetit bonum vltra quod non appetit aliud: hic est finis vltimus, quem dixi.

Deinde si non daretur finis, qui propter se appeteretur in omni actu, omnia essent media, & nullus finis; quod absurdum est, quia media sunt in ordine ad finem. Tolleretur etiam ordo intentionis, & ordo executionis; quia ordo intentio-

nis incipit à fine vltra quem nihil est, & ordo executionis incipit à primo medio ante quod nihil est. Vnde nemo incipere potest consultationem quæ semper incipit ab vltimo fine; neque incipere potest executionem, quæ incipere debet à primo medio.

Certum est secundò, dari finem aliquem simpliciter vltimum, ad quem homo cum omnibus suis actibus, & omnia creata ordinantur ex Dei certa & immutabili ordinatione. Quia sicut omnia effectorem habent Deum à quo sunt, ita & finem vltimum propter quem sunt; Deus enim optime optimus non potest finem operum suorum omnium alium habere quam seipsum, alioqui finem præstantissimum non haberet propositum quando agit extra se. Imò nec seipsum per se & sine amitteret, nisi conficeret operando circulum amoris à bono in bonum, egrediendo à seipso per emanationem, & effluxum ac communicationem sui boni, regrediendo ad seipsum & quarendo in illo actu suo aliquod bonum suum, idest suam gloriam propter quam omnia necessarîo operatur: hæc autem quid & qualis sit, constabit ex sequentibus. Difficultas igitur est, vtrum seclusa Dei ordinatione, ex ipsa rei natura necesse sit dari finem aliquem vltimum, ad quem homo necessarîo seipsum & sua omnia referat, & quem non expetat propter aliud, sed in eo sistat vltimo, ac penitus quiescat.

Dico primò, dari finem aliquem ipsius hominis & rerum omnium simpliciter vltimum ex ipsa rei natura, quem homo secundum rectam rationem tenetur omnibus antepondere, appetendo propter ipsum alia omnia, & illum appetendo vltimò propter se. Ita demonstrabam prima secundæ, multis rationibus Philosophi, quas non re-

peto. Prima ratio nunc sit, quàm indicauimus nuper ex *cap. 2. lib. 1. Ethic.* Homo per totam collectionem suarum appetitionum potest obtinere quietem, alioqui frustra sunt illæ omnes appetitiones simul sumptæ; nam per illas tendit in aliquid in quo quiescat: sed si non detur finis aliquis simpliciter vltimus, vltra quem nihil debeat appeti, non poterit per totam collectionem appetitionum obtinere quietem; restabit enim ei semper aliquid appetendum, cum detur progressus infinitus in finibus: ergo non datur progressus infinitus in finibus, sed datur finis aliquis, qui vltimus sit appetibilium: quæ ratio est optima, & vt opinor, demonstratiua.

Secunda ratio sit, quàm habet Valentia *part. 4. in expe-* tendendo vnâ rem propter aliam tanquam propter finem, eum ordinem & modum seruare homo tenetur, quem habent res ipsæ vt sunt per se ordinatæ ac appetibiles: sed inter res vt sunt per se ordinatæ ac appetibiles, aliqua est per se appetibilis, tanquam extremum & perfectum bonum, & reliqua omnia propter illam: ergo ex lege naturæ debet homo in appetendo vnâ rem propter aliam aliquid appetere vt perfectum bonum, & vltimum finem. Probatur minor. Illa appetibilia, quæ ex natura sua sunt ordinata, debent posse appeti omnia, alioqui frustra essent sic ordinata: sed si non detur inter illa vltimum, non poterunt appeti omnia: ergo inter appetibilia per se ordinata datur aliquod vltimum. Maior patet; nam appetibilia ordinata per accidens, idest solo arbitrio appetentis, non necessarîo debent posse appeti omnia; ea verò quæ ordinata sunt ex natura

Sua ut appetantur, possunt sine dubio appeti. Minor item est manifesta, quia voluntas neque simul, neque successivè potest appetere infinita. Deinde non potest appetere illa infinita per ordinem intentionis, qui semper incipit ab eo quod est ultimum in executione; neque per ordinem executionis, qui semper incipit à primo medio, quod nullum esse potest, si nullus est finis ultimus.

Tertia ratio sit etiam efficax, quia in causis per se subordinatis non potest dari progressus in infinitum: causæ finales causæ sunt essentialiter subordinatæ; nam illæ causæ dicuntur subordinatæ per se, quatum vna causare non potest nisi per vim quam recipit ab alia simul & actu causante; cuiusmodi sine dubio sunt causæ finales subordinatæ: ergo in causis finalibus non potest dari progressus in infinitum. Probatum maior, nam in causis per se subordinatis virtus derivatur à prioribus ad posteriores per intermedias: sed si causæ illæ sint infinitæ, non poterit virtus eo modo derivari à prioribus ad posteriores per intermedias; infinitum enim nunquam exhauritur: ergo in causis per se subordinatis non potest dari progressus in infinitum. Quod autem causæ finales sint subordinatæ, certum est, ut dixi, quia omnia media causant per vim quam habent à fine; ab eo enim pendent actu omnia media, & finis per se ipsum illa omnia immediatè causat. Medium verò unum non causat aliud nisi per vim causandi, quam actu recipit à fine: unde non est medium ipsum quod causat, sed finis in illo medio causante causat aliud medium.

Confirmatur etiam efficaciter. Nemo cognoscere simul potest & appetere infinita: si daretur processus in infinitum in finibus, deberet homo cognoscere simul & appetere infinita, quia nemo unquam appetit ullum medium, quin appetat simul finem, & omnia quæ mediant inter illud & finem: si datur progressus infinitus in finibus, illa media sunt infinita: ergo non datur progressus infinitus in finibus.

Dico secundò, nullius rei tantam videri esse necessitatem in vita, quam ut homo cognoscat, & proponat seriò finem ultimum propter quem alia omnia expetat.

Ratio triplex desumi potest ex Aristotele. Prima habetur 1. *Ethicorum*, cap. 2. ubi argumentatur à pari. *Nonne igitur*, inquit, *magnum ad vitam cognitio finis movemur habet, si quemadmodum sagittarum scopum habemus*. Sicut videlicet sagittarum si temerè iaciant, nec scopum aliquem attingere intendunt, rudes semper, & imperiti sunt sagittandi: contra verò qui propositum scopum habent, in quem dirigant sagittas, citò periti evadunt, sic qui propositum habent finem, in quem actiones ut sagittas mittant, citò evadunt optimi. Similiter nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi iam constet, quid pingere intendat. Scire debet quid petat ille qui sagittam vult mittere, ac tunc moderari, & dirigere manu telum, inquit Seneca *epist.* 7. qui etiam exemplo navigantium videtur *epist.* 95.

Idem confirmat Plato *lib.* 12. *de legibus*, exemplo Medicorum, Ducum, Artificum quorumcumque; unde sic licet argumentari. Nihil in arte vlla vel negotio tam est necessarium, quam cognoscere ac proponere sibi finem, cuius ex defectu nihil fieri omnino potest: ergo nec in vita. Quàm ergo, inquit Basilii *orat. de legendis libris Gentilium*, alienum est à ratione, ut cum guber-

nator ventis non se temerè committat, sed clauum rectum teneat, navim dirigens ad portum; sagittarum collineat in scopum, fabri quoque ac architecti ad libellam omnia expendant, & in finem perducant; nos iis opificibus de sapientia concedamus, nec ea quæ ad animi profectum conducunt, inquiramus? Erit ergo penes operarios consideratio finis, & humanæ finis consideratio non erit?

Secunda ratio indicata est initio quæstionis *ex* 7. *Ethic.* cap. 8. ubi finis comparatur principiis per se notis, ex quibus scientiæ derivant suas omnes conclusiones; sicut enim constitutis huiusmodi principiis facillimè habetur scientia; sic constituto & destinato ultimo fine, in vita constituta sunt omnia: summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est; cognitum verò rerum finibus, cum intelligitur, quid sit & malorum extremum, & bonorum, inventa via est, conformatioque omnium officiorum, inquit Tullius *lib.* 5. *de finibus*. Quod etiam pertinet quod ait Philosophus *lib.* 1. *de partibus animalium*, cap. 1. finem esse rationem, rationem autem esse principium in rebus tam naturæ constituendis, quam voluntate. Cum ergo, inquit *lib.* 1. cap. 7. principium pliusquam dimidium sit totius, totam ferè adeptus est felicitatem, qui finem habet rectè constitutum. Fine autem illo neglecto, ait Basilii nuper citatus, animus noster velut navis sine arte ac gubernaculis huc illucque iactatur, quia nimirum non dispiciet singula, nisi cui iam vitæ suæ summa proposita est, inquit Seneca *epist.* 71. Errant consilia nostra, quia non habent quod dirigantur: ignorantem quem ventum petat, nullus suus ventus est.

Tertiam rationem habet Philosophus *lib.* 1. *ad Eudemum*, cap. 1. Vita, inquit, proposito fine carens insignis stultitiæ argumentum est. Consentit Seneca nuper citatus; ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de vita nemo: necesse est ut multum in vita possit casus, quia vivimus casu: unde sic licet argumentari. Nihil tam est necessarium homini, quam adeptio finis, cuius amissione miserimus est: sed nisi cognoscat, meditetur, proponat sibi seriò finem, ad quem dirigat omnes vitæ suæ rationes, ad eum nunquam perveniet: ergo nihil tanti esse debet homini, quam consideratio illa & intentio finis.

SECTIO II.

Quotuplex sit finis simpliciter ultimus.

Dixi dari ex rei natura finem aliquem ultimum simpliciter, quem ex rei natura cuncta respiciant, & in quo conquiescant: nunc quæritur, utrum ille vnicus tantum sit, an verò, utrum ita multiplex esse possit, ut in vno non sit necesse omnia conquiescere. Vbi tria quæri possunt: primò, utrum ex natura rei omnium hominum non sit nisi vnicus finis ultimus: secundò, utrum ex electione libera possit idem homo plures habere ultimos fines, etiam adequatos: tertio, utrum ex natura rei idem sit finis hominis & rerum aliarum omnium.

Dico primò, vnicum omnino esse ex rei natura finem hominis adequatum & simpliciter ultimum, tametsi duo in eo distinguantur fines inadequati, quorum neuter finis est sine altero; ambo autem simul vnum finem constituunt adequatum.

Yy 3 Primam

Tertia
probatio.

Secunda
ratio.

Tertia
ratio.

Necessitas
cognoscendi
finem.

Prima
ratio.

Conclusio
bipartita.